



303

tibi offero in sacrificium immaculatum pro salute humani generis in remissionem peccatorum. Et his dictis ad manus se crucifigentium libere dedit, qui eum super crucem projicientes crudeliter extenderunt. Quod cernens mater moestissima accurrit, et velum ad tegendum filii pudenda obtulit, quo et tectus fuit. Nam locus, in quo beata Virgo et Johannes sub cruce steterunt, prope hunc locum est, quamvis extra templum ingressum habeat, ut suo loco patebit. Ex quo etiam argumentum capio, quod Christus fuerit inferius crucifixus, et cum cruce supra rupem elevatus cum clamorosa derisione Judaeorum.

Post loci illius deosculacionem, in quo Christum crucifixum suspicabar, processimus contra altare, quod ad rupem Calvariae est aedificatum, in cuius dextro latere vidimus in rupe scissuram, quae a summo descendit usque in terram. In eodem loco mortuus est et sepultus Adam, primus parens noster, ut multi dicunt. Nec obstat, quod dicitur Josuae XIII., quod Adam sit in Ebron inter Enakim sepultus, i. e. inter gigantes. Quia dicitur in supplemento Chronicorum, quod Adam mortuus et sepultus fuerit in monte Calvariae, et postea corpus ejus demto capite translatum sit in Ebron, in speluncam duplicem. Caput vero Aadae repertum est post multa tempora in monte Calvariae. Ideo pictores consueverunt testam humani capitis sub cruce depingere. Unde Ambrosius et Athanasius, Chrysostomus et Jeronymus in epistola ad Marcellam et in pluribus aliis locis, et Hebraeorum doctores, dicunt: Adam hic peccasse, et fuisse sepultum, ideo, ut ubi corruptum est genus humanum, ibi Christus proprium corpus exposuit, et ubi seminata est corruptio, ibidem incorruptio oriretur. Haec Anthonius. Sanctus etiam Jeronymus saepe idem dicit. In quodam tamen loco dicit: quod dicere, Adam ibi sepultum, sit favorabile et aures demulcens. Locum ergo scissurae deosculati sumus, et locum sepulturae Adam patris nostri.

Porro Orientales dicunt, in eo loco sepultum fuisse Melchisedech, primum sacerdotem Jerusalem. De quo habetur Genes. XIV. et Psalmo 109. Sed hoc latina et occidentalis ecclesia non recipit, propter dictum apostoli Hebrae. cap. 7.,

318

316

322

312

327

307

367

267

417

217

Ende

Anfang